

Glossas habet rubras, scholia paucissima ab alia manu margini appicta.

Ex his viginti codicibus (plures autem sine dubio in Anglia servantur, quos mihi nondum contigit correctare) octo fere usus est Porsonus; sed ne hos quidem videtur omnes penitus excussisse, verum quosdam eorum tantum inspexisse et quibusdam in locis consuluisse.

In Orest. v. 225, *ω βοστρύχων πινῶδες ἀθλιον κάρα*, legendum nunc puto *βάρος* pro *κάρα*. Saepe confusae sunt *κ* et *β* literae; *βάρος* autem *βοστρύχων*, de aegrotante dictum, optime defenditur loco persimili Hippol. 201, 2; sed *βοστρύχων κάρα* plane ineptum est.

In Phoen. v. 1525 pro *γάλακτος παρὰ μαστοῖς*, quod non magis Graecum est quam *βοστρύχων κάρα*, lege, ipso metro indicante, *γαλακτογόνοις παρὰ μαστοῖς*.

Ejusdem fabulae vv. 1013—18 vereor ne interpolati sint. Pravum usum verbi *διελθεῖν* jam notaveram. Addendum erat, verbis *εἴρηται λόγος* (v. 1012) ex more tragicorum finiri orationem.

Dabam CANTABRIGIAE,  
Id. Aug. MDCCCLX.